

962) Item, cum de jure communi omnes Ecclesiae & alia pia loca situata in Dicecesi Castellana debeant esse sub jurisdictione Episcopi, Dominium prædictum non ostendens aliquam exemptionem dicit, Ecclesiam S. Marci non subjectam esse Episcopo, & quod pejus est & abominabile audire, quia ipsa Ecclesia est Collegiata, quando Canonici eligunt Primicerium suum D. Dux Venetiar. confirmat. Et si unus ex dictis Canonicis delinqueret ubicumque in Dicecesi, vel alias Clericus in Ecclesia prædicta, Primicerius eum punit circa aliquam jurisdictionem. Et si Primicerius delinqueret, dicit Dux, quod ad eum spectat punire, nil aliud allegando, nisi potentiam: immo quod pejus est, & non longum ab heresi, proponunt dicti Veneti, quod Ecclesia S. Marci non est subjecta Papæ; & tamen Papa expresse submittit eam jurisdictioni Episcopi Castellani.

963) Item, cum Ecclesia prædicta S. Marci habeat ultra septem millia Florenorum in redditibus singulis annis, D. Dux cum suo Concilio constituit duos laicos Procuratores ipsius Ecclesiae, qui percipiunt prædictos fructus, nec miseri Canonici cum Primicerio, qui sunt ultra triginta numero aliquid habent, & eos oportet vivere de quotidianis distributionibus, & de illis dumtaxat ducere vitam suam, & prædictam pecuniam præfati Procuratores tenent ad manus suas, in suos usus eas multoties convertentes, prætendentes se multam pecuniam expendere pro fabrica S. Marci.

964) Item prædicti Procuratores Ecclesiam S. Marci affistant sicut rem profanam pro certa pensione, non allegantes nisi potentiam.

¶ Deb-